



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Visitatio Episcopalis, Illvstrissimo Et Reverendissimo  
Principe Ac Domino, DN. Theodoro Adolpho, Episcopo  
Paderbornensis, Sac. Rom. Imperij Principe, & Comite in  
Pyrmont, &ct. per Ejusdem Civitatem & ...**


**Frick, Bernardus**

**[S.l.], 1654**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-8088**

A  
3254













Arch. Capit. Cap. 177. no 16.

1654.

VISITATIO EPISCOPALIS,  
 ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO  
 PRINCIPE AC DOMINO,  
 DN. THEODORO  
 ADOLPHO,  
 Episcopo Paderbornensi, Sac. Rom.  
 Imperij Principe, & Comite in Pyr-  
 mont, &c.

*Per*  
 Ejusdem Civitatem & Diocesim Paderbornensem,  
*Cum*  
 PLENARIIS INDVLGENTIIS  
 SS. D. N.

Dn. INNOCENTII PP. X.  
 instituta & celebrata,  
 Anno Dominicæ incarnationis  
 M. DC. LIV.



PADERBORNÆ,  
 Typis Viduæ Ioannis Vlrici Huberi.

A7 3254

A7

3254

[1654]

sch





48:64



INDICTIO  
VISITATIONIS EPISCOPALIS PER CIVI-  
TATEM ET DIOECESIN PADERBOR-  
NENSEM,

*Cum*

PLENARIIS INDVLGENTIIS

S. D. N.

INNOCENTII PP. X.



**THEODORVS ADOLPHVS** Dei  
gratiâ Episcopus Paderbornensis, S. Rom.  
Imp. Princeps, & Comes in Pymont, &c.  
Omnibus ac singulis, Abbatibus, Præposi-  
tis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archi-  
diaconis, Capitulis, Conventibus Cathedralis & Collegia-  
tarum, Regularium & secularium Parochialiumque Eccle-  
siarum & divinorum Rectoribus, totiq̃ Clero, per Ci-  
vitatem & Dioecesi Nostram Paderbornensem, ubilibet  
constitutis, salutem in Domino sempiternam.

Inter cetera, quæ à sacra & œcumenica Tridentina  
Synodo, salubriter Spiritu S. dictante, sunt ordinata, illud  
haud minimum censendum est, quo Episcopis per suam  
cuique Dioecesi, necessitatem annuæ visitationis Episco-



palis sess. 24. de reform. c. 3. per se ipsos, vel ipsis legitimè impeditis, per alios ad hoc muneris delegatos, faciendæ, tam seriò ac severè imponit, ut sic vultum sui pecoris diligentius cognoscentes, si quæ sint emendanda vel renovanda, in meliorem statum, non minus ad maiorem DEI honorem, evidens Ecclesiarum incrementum ac utilitatem, ad animarum sibi concreditarum salutem, ad Ecclesiasticam disciplinam restaurandam, promovendamque, reducere paterno affectu, cum cura & sollicitudine satagant, quam ipsimet etiam ad rationem supremo Pastorum Pastori CHRISTO IESU, de commisso sibi grege reddendam, melius efficaciusque præparentur. Quod cum hæctenus ab Antecessore Nostro laudatissimæ memoriæ, ob bellorum tumultus & terrores, & à Nobis, propter gravissima Imperij negotia, aliaque impedimenta, fieri non potuerit, nunc tandem, exigente summâ rerum necessitate diutius nequaquam duximus esse differendum. Nos itaque dicti S. Concilij decretis in hærentes, pro officij Nostri Episcopalis ratione, per præfatam Nosram Diocesin, Visitationem Episcopalem generalem, indicimus, quam volente ac favente DEO, ipsa Dominica sub octava Corporis Christi, quæ erit septima mensis Iunij, aggrediemur, & perficiemus. Visitabimus autem accuratè omnes & singulas Civitatis & Diocesis Nosræ Ecclesias, Cathedrali Nosram, Collegiatis, etiam Nobilium Virginum, earum item Capitula & personas, Curatas præterea Ecclesias, item eas, quæ Cathedrali, Collegiatis, aliis Ecclesiis, Monasteriis, aut piis quibusvis locis, quovis modo annexæ sunt; Monasteria item, Abbatias, Prioratus & Præposituras, quovis nomine nuncupatas, in quibus non viget regularis observantia; Cetera quoque beneficia curata



ac non curata, secularia, regularia, quovis modo commendata.

Moniales etiam sive Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate, sive regularibus subjectas quoad clausuram, ad quam conservandam, vel ubi violata fuerit, diligenter restituendam, sub obtestatione divini Iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, juxta S. Concil. Trident. decretum, sess. 25 c. 5. de Regularibus, obligamur.

Monasteria insuper omnia, in quibus animarum cura exercetur, in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent. Omnes denique & quascunque seculares personas Ecclesiasticas & Regulares extra Monasterium vitam agentes, prouti Hospitalia, aliisque loca pia, ad cultum divinum quovis modo deputata.

Quapropter vos omnes & singulos supradictos, ad quos Collegiorum, etiã Nobilium Virginum, Monasteriorum, Parochiarum, Vicariarum, Beneficiorum, Hospitalium & piorum locorum quorumcunque, vel foundationum gubernatio, vel administratio, Missarum, quæ in iis præstanda, celebratio, aliorumque munerum injunctio, quomodolibet pertinet, in Domino hortamur, & seriò præcipimus, ut quo die singulas Ecclesias ac loca ad ea spectantia visitaturi sumus (de quo adhuc singulos locorum Superiores ac Pastores debjtere præmonebimus) Nobis, vel Nostro Vicario generali, aut cui tale munus delegabimus, singula respectivè proferatis, disponatis, conficiatis, consignetis, & exactè observetis, quæ sequentibus articulis, in compendium per monita generalia & specialia, ad celeritatem, exactioremque visitationem redigi, describi ac imprimi mandavimus. De reliquo Authoritate Apostolicà omnibus verè confessis, & sacrâ communionem refectis, sub



hac futurâ visitatione Nostrâ, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & gratiam Nostram offerentes, Episcopalem benedictionem benignè impertimur. Datum in solita Nostra Episcopali residentia Neuhaus 28. die mensis Aprilis anno Christi M. DC. LIV.

Theodorus Adolphus.

L. S.

v.

Bern. Frick Episc. Card. Suffr.  
& Vicar. Gen. Paderb.



**MONITA**  
**Pro futura Episcopali Visitatione, à**  
singulis, quorum interest, ex mandato Illustrissimæ  
Celsitudinis suæ, accuratè observanda, & præ-  
standa.

**GENERALIA.**

**§. I.**

**A**Ccepta hâc indictione proximo die festo vel Domini-  
nicâ, incipiant omnes Ecclesiastici seculares & regulares  
singulis diebus, cum suis subditis diligenter orare pro felici Suc-  
cessu hujus visitationis, eamque Deo serîo commendent.

Atque ut cum majori fructu & progressu, fiat, in Dominica  
sub octava Corporis Christi, quæ erit 7. mensis Junij, in Civitate  
Paderbornensi in Cathedrali (quam hâc ipsâ die Reverendissimus  
& Illustrissimus tanquam caput, aliarum Ecclesiarum, visitabit &  
ad quam Collegiata & omnes Parochiales ejusdem Civitatis certis  
horis sibi designandis, pro Indulgentiis plenariis lucrandis com-  
parebunt) & per totam Diœcesin, in Regularibus, Parochialibus-  
que Ecclesiis, preces decem horarum cum solenni processione, &  
Venerabilis Sacramenti expositione, instituant, ipsique Sacerdo-  
tes, non eo tantum die, verum etiam in singulis sacrificiis Colle-  
ctam de Spiritu Sancto subjungant, prouti etiam Clerus & popu-  
lus, præsertim Pastores singulis Dominicis & festivis diebus post  
peractum officium divinum, Litanias omnium Sanctorum devotè  
orent, quousque visitatio fuerit finita.

§. 2. Et quia SS. D. N. D. INNOCENTIUS PP. X. Reverendis-  
simo & Illustrissimo Ecclesiam suam Cathedralem, vel aliquam ex  
Ecclesiis locorum insigniorum suæ Diœcesis Paderbornensis vi-  
sitati, omnibus & singulis, ejusdem subditis, verè confessis, &  
sacra communione refectis, qui ibidem pro Principum Christia-  
norum concordia, hæresum extirpatione, S. Matris Ecclesiæ exal-  
tatione, in actu visitationis, per Reverendissimum respectivè fa-

ciendæ



ciendæ suas ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concessit:

INNOCENTIUS PP. X.

**V**enerabilis Frater, salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut Nobis nuper exponi fecisti. Tu propediem benedicente Domino Ecclesiam Tuam Paderbornensem pro prima vice visitare intendas, Nos animarum Christifidelium tua cura commissarum saluti paternâ charitate consulere, Teq; specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, omnibus utriusq; sexus Christifidelibus verè penitentibus & confessis, ac sacrâ communionem refectis, qui die qua dicta primâ vice visitaveris tuam, vel aliquam ex Ecclesiis Locorum insigniorum tua Diocesis Paderbornensis in actu visitationis per te respective faciendæ huiusmodi devotè visitaverint. & ibi pro Christianorum Principum concordia, heresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, Presentibus pro unica vice tantum valitura. Datum Roma apud S. Mariam Maiorem sub Annula Piscatoris die 17. Augusti M. DC. LI. Pontificatus Nostri anno septimo.

Gratis pro Deo & Scriptura.

B. Buspolus.

Omnes visitandi tam in Cathedrali, quam aliis insignioribus Diocesis huius locis à Reverendissimo deinceps specialiter designandis peccata sua confitebuntur, & ipsa visitationis die vel de manibus Reverendissimi vel ejusdem generalis Vicarij aut aliorum deputatorum, sacram Eucharistiam reverenter suscipient, ut sic Deo uniti, magis magisque in divina gratia proficiant, & uberiorem huius visitationis fructum percipiant.

§. 3. Cum etiam hoc tempore non sine magno animi dolore, optimus quisque intelligat, & indies videat, quanto studio bestia infernalis regnum suum per eos, quos suo caractere insignivit, propagare conetur, Pastores ad populum sibi commissum antequam ipsos ordo visitationis Episcopalis attigerit, de S. Sacramento confirmationis, ejusque virtute & efficacia sæpius verba fa-

ciant



ciant & instruant, quod sit Sacramentum vivorum, & Spiritus S. gratiam conferat, & quia in malevolam animam non potest introire sapientia, id est, Spiritus Sancti gratia; neque habitare in Corpore subdito peccatis, Sap. i. v. 4. Ideo ipsos ad illud durante visitatione dignè & debitè ac purâ conscientîâ suscipiendum, serîd cohortentur, modumq; recipiendi doceant, præsertim quoad Patrinus & Patrinâs, qui prius etiam confirmati esse debent, & præterea illis inculcent, ne vel ex pietate, vel alio respectu hoc Sacramentum iterare præsumant.

§. 4. Quod si etiam aliquid sit, quod consecratione, benedictione vel reconciliatione indigeat, utpote Ecclesiæ, Altaria, Cœmiteria, Campanæ, Calices, Corporalia, aliâq; sacerdotalia vestimenta, curabunt maturè ut dispositis ac præparatis necessariis, eodem tempore, minore etiam impensâ, consecrari benedici, ac reconciliari possit, & ne ignorantiam illarum rerum, quæ ad huiusmodi consecrationes & benedictiones requiruntur, prætere possint, earum designationem & informationem à Suffraganeo Nostro ante tempus visitationis petent.

§. 5. Pridie visitationis in uno quoque loco ab hora V. usque ad VI. omnes Campanæ pulsabuntur, indices futuræ visitationis, & ut populo innotescat. Ipsâ verò visitationis die unâ horâ ante adventum Reverendissimi vel Deputatorum ad Ecclesiam, itidem compulsatio fiet cum Campanis, ut populus, aliique, quorum interest, præsto esse possint.

§. 6. Superiores uniuscuiusque loci diligentem curam habebunt, adventus Reverendissimi vel Deputatorum, ut præfentes esse possint ad eos excipiendos ac tempestivè: Quare acceptâ hac indictione generali, omnes suos statim monebunt, ut ad secundam specialem citationem, personaliter & parati comparere possint, ac debeant, sub pœnis à Rm̃o infligendis.

§. 7. Si Reverendissimus vel deputati vesperî ad aliquem locum accesserint, superiores locorum in suo habitu ordinario ad domum destinatam, pro quarterio expectabunt, cum aliis Ecclesiarum Ministris, uti Custode, Ludimagistro, & Provisoribus, ut si quæ occurrant ordinanda, statim ad manus esse possint.



§. 8. Si verò adventus Reverendissimi vel deputatorum fuerit manè & ante prandium, quod etiam ubique servabitur, quando ipse actus visitationis per ingressum ad Ecclesiam, à Reverendissimo vel deputatis fiet, tunc superiores locorum cum Clero, & supradictis ministris Ecclesiarum, item populo (in Civitatibus verò Oppidis, Municipiis, etiam Magistratu) in Cœmeteriis expectent cum Crucibus, Vexillis, & habitu Ecclesiastico prouti in Ecclesiis utantur compareant, ibique Prælatus, Pastor vel Rector Ecclesiæ primarius indutus superpelliceo & pluviâli, Reverendissimo venienti offerat crucem osculandam, quam Reverendissimus super tapetem stratum genuflexus devotè osculabitur, deinde Reverendissimū sub Baldachino vel umbella deducant ad Ecclesiam cum Processione scholis comitantibus, cantando, VENI CREATOR SPIRITUS. Et dum intrat Reverendissimus portam Ecclesiæ, prædictus Rector Ecclesiæ indutus, ut supra, detecto capite, cum osculo manuum offerat Eidem asperforium cum aqua benedicta, quod Reverendissimus accipiens, primo asperget se ipsum, deinde alios. Tum idem Rector, offeret Ei naviculam, aliquo alio Sacerdote vel Ministro Ecclesiæ, superpelliceo induto thuribulum porrigente, Reverendissimus imponet incensum, & statim ipse Rector incensabit ipsum Reverendissimum stantem cooperto capite, tribus ductibus. Deinde procedent ad Altare majus Ecclesiæ & ibi super faldistorio ad hoc præparato ante infimum gradum Altaris procumbet Reverendissimus & orabit.

Interim verò Prælatus Ecclesiæ, Pastor sive Rector Ejusdem, stans in cornu Epistolæ Altaris, versus orantem, detecto capite, dicet.

- ✠. Salvum fac servum tuum Theodorum Adolphum.
- ℞. Deus meus sperantem in te.
- ✠. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
- ℞. Et de Sion tuere eum.
- ✠. Nihil proficiat inimicus in eo.
- ℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

✠. Do-



℣. Domine exaudi orationem meam.  
℞. Et clamor meus ad te veniat.  
℣. Dominus vobiscum.  
℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

**D**EVUS humilium visitator, qui nos paterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen.

*Hic notandum. quod ubi Illustrissimus in persona comparere non potuerit, omnia supradicta fient, per Eiusdem Suffraganeum vel aliquem alium deputatum, in foribus templi excipiendum.*

*Post hæc legetur sacrum ab ipso Reverendissimo, Pastore vel alio per Reverendissimum deputato. Post sacrum fiet similiter per Pastorem, vel deputatum à Reverendissimo brevis exhortatio ad populum: petita prius benedictione solita.*

*Post exhortationem Reverendissimus dabit solennem benedictionem, deinde parat se pluviali & stolâ nigri coloris, & stans cum mitra juxta Altare versus ad populum, Incipit Antiphonam, Si iniquitates.*

*Clerus subjungit Psalmum, De profundis, &c. finito Psalmo repetitur Antiphona, Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit.*

*Qua dicta, Illustrissimus deposita mitra dicit:*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

*Quod dum secretè completur, accepto aspersorio, tertio aspergit ante se, deinde imponit incensum in thuribulum, & illo benedicto, eodem modo incensat. Quo factò pronunciat.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,  
℞. Sed libera nos à malo.



V. In memoria æterna erunt iusti.  
 R. Ab auditione mala non timebunt.  
 V. A porta inferi.  
 R. Erue Domine animas eorum.  
 V. Requiem æternam dona eis Domine.  
 R. Et lux perpetua luceat eis.  
 V. Domine exaudi orationem meam.  
 R. Et clamor meus ad te veniat.  
 V. Dominus vobiscum.  
 R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.


Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio, Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*Deinde fit Processio per Cæmiterium & cantatur Responsorium:*



R. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœ-




tidum: Tu eis Domine dona requiem, & locum




indulgentiæ. V. Qui venturus es judica-

re





re vi vos & mor tuos, & sæculum per i-



gnem. Tu eis Domine.

*Illustrissimus cum mitra exit ad Cœmeterium, interim dicens cum Mi-  
nistris suis. Antephonam, Si iniquitates, &c. &c.*

PSALMUM,

De profundis, &c.

*Et repetitur Antiphona. Si iniquitates observaveris Domine,  
Domine quis sustinebit?*

*Quibus omnibus dictis, cum fuerint in medio Cœmeterii, sumante se  
suo ordine, & Chorus cantat Responsorium.*



Li bera me Do mine de mor te




æ ter na, in die illa tremen da. Quando


B 53

æter-







cœ li mo vendi sunt & ter ra: Dum




ve neris ju di ca re sæ-




culum per ignem. v. Tremens factus sum




ego, & ti meo, dum discus si o venerit,



atque ven tu ra i ra, Quando cœ li mo-




vendi sunt, & ter ra. v. Dies illa, dies iræ,




cala mitatis & mise ri æ, di es magna &

amara





a mara valde. Dum ve ne ris, &c.



Re. Requiem aeternam dona e is Domine, &



lux perpetua lu ce at e is.

*Tum repetitur Responsorium, Libera me Domine, &c. usq. ad primum versum Interim dum Responsorium repetitur, offertur per digniorem Ecclesia, navicula, & per alium ex Ministris thuribulum Illustrissimo, qui imponit incensum more consueto. Responsorio repetito, chorus cantat,*



Kyri e e lei son, Christe e lei son,



Kyri e e lei son.

Mox



Mox Illustrissimus mitrâ depositâ convenienti voce dicit:

Pater noster, &c.

Deinde aspergit, & incensat prout fecit in Ecclesia. Quo facto dicit  
versus.

Y. Et ne nos inducas intetationem.

R. Sed libera nos à malo.

Y. In memoria æterna erit iustus.

R. Ab auditione mala non timebit.

Y. A porta inferi.

R. Erue Domine animas eorum.

Y. Requiem æternam, &c.

R. Et lux perpetua luceat eis.

Y. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Y. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

**D**Eus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

**D**Eus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

DEUS



**D**Eus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt,  
famulis & famulâbus tuis omnibus hic, & ubique in  
Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum,  
ut à cunctis reatibus absoluti tecum sine fine lætentur. Per  
Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

*V.* Requiem æternam dona eis Domine.  
*R.* Et lux perpetua luceat eis.

*Tunc duo cantores dicunt:*

*V.* Requiescant in pace. *R.* Amen.

*Et mox Illustrissimus elevat à dexterâ producit signum crucis ab omni  
parte super Cæmeterium; tum accepta mitra per Pontificem, revertuntur  
omnes ad Ecclesiam ordine, quo venerunt, choro dicente congruenti voce sine  
nota totum Psalmum, Miserere mei Deus &c. cum versiculo, Requiem  
æternam dona eis Domine. Et lux perpetua luceat eis.*

*Quem etiam Illustrissimus ipse dicit voce demissa cum Ministris seu Ca  
pellanis suis: quibus dicit Illustrissimus ad Chorum ante majus Altare perve  
niens, deposita mitra, & stans ibidem in medio versus ad Altare dicit:*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed  
libera nos à malo.

*V.* A porta inferi.  
*R.* Erue Domine animas eorum.  
*V.* Domine exaudi orationem meam.  
*R.* Et clamor meus ad te veniat.  
*V.* Dominus vobiscum.  
*R.* Et cum spiritu tuo.

DOM

C

ORE.



O R E M U S.

**A**bsolve quæsumus, Domine animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen.

*His peractis*, accensis interitiis, visitabit Reverendissimus, Ejusdem Vicarius Generalis, vel deputatus sacrosanctam Eucharistiam, quam prius & postea incensabit. Deinde Baptisterium & sacras Reliquias cum luminibus accensis, & Reliquias incensabit. Post hæc olea sacra.

*Quibus expeditis*. Assumpto albo pluviali, & aliis requisitis ipse Illustrissimus vel Ejusdem Suffraganeus Sacramentum confirmationis administrabit.

*Demum depositis paramentis* visitabit Reverendissimus per se, suum Vicarium Generalem, vel deputatum sedes Confessionales, Altaria, Capellas, sacras imagines, Sacristiam, Ossorium, Cœmeterium, Ecclesiæ tectum, campanas, turrim, suggestum, sedilia, scamna communicantium, armarium, Calices, casulas, albas, Monstrantiam, ciborium, Candelabra, Mappas altarium, corporalia, purificatoria, libros missales, cantuales, cruces, vexilla, ædes Ecclesiasticas, Pastoris, Custodis, Scholarum, Hospitalia, confraternitates, & loca pia.

MONI.



## MONITA SPECIALIA.

### §. I.

**I**N Collegiatis, Decani & Capitula exhibebunt fundationes Ecclesiarum & statuta, designationem dignitatum officiorum & sacrorum ordinum, ad quos obligantur, numerum & nomina Canonicorum, Vicariorum, Beneficiorum, Ludimagistrorum, Custodum, Choralium, aliorumque Ministrorum, item si qui Canonicatus sint extincti, vel uniti, & cujus id autoritate factum sit. Item designationem vicariarum, vel Beneficiorum, unitorum, vel uniendorum: Omnium titulos, fundationes, Redditus, ad quos ordines, & ad quem Missarum numerum obligentur: Et an singuli tum Canonici tum Vicarij & Beneficiati chorum debite frequentent, & Missas in fundatione requisitas celebrent, vel celebrari faciant. Idem fiet in Collegijs nobilium Virginum.

§. 2. Omnes & singuli Pastores sub arbitraria pœna, prouti jam sæpius, etiam in Decretis Synodalibus ipsis mandatum fuit, omnium Beneficiorum in Parochialibus Ecclesiis, aut limitibus Parochiæ suæ Fundatorum, Commendarum & Vicariarum, Hospitalium & Eleemosynarum, sub quocunque etiam nomine erectæ sunt, titulos, redditus etiam alienatos, fundationes, Possessores, & quo in loco iidem degant, Collatores, Patronos, sive Ecclesiasticos sive seculares, atque alias quascunq; informationes, quas habere vlllo modo poterunt, in forma authentica nitide & legibiliter ad modum actorum descriptas & consignatas exhibebunt.

§. 3. Idem etiam Pastores, prouti etiam Rectores Sacellorum, Commendarum, vel Beneficiorum quorumcunq; possessores. 1. Patronum Parochialium Ecclesiarum, Sacellorum, Commendarum, Beneficiorum. 2. Diem anniversariæ Dedicacionis eorundem. 3. Nomen & cognomen suum. 4. Ad quem Pastoratus, Sacelli, commendæ, vel Beneficij præsentatio,

NB:



Collatio, & Investitura pertineat. 5. Designationem reddituum, Pastorum, & Iurium stolæ, commendarum sacellorum, & Beneficiorum. 6. Onera eorundem. 7. Pastores quoque, si quæ in eorum Ecclesiis aut Parochijs, etiam arcibus nobilium sint Beneficia, quomodo deserviantur, candidè & sine dolo designabunt, proxi. 8. Idem Beneficiarii documenta ordinum, Præsentationis, Provisionis, investituræ & possessionis ostendent.

§ 4. Provisores Ecclesiarum Hospitalium, Fraternalium, Decani Calendarum & Exulium, Ludimagistri & Custodes, Registra sive designationes reddituum annuorum & eorundem rationes, similiter in forma, uti supra de Pastoribus & Beneficiariis dictum est extrudent; annotatis ijs, in quibus ob negatam hæcenus solutionem, contra jus, gravati fuerint; quando item vel coram communitate, vel Magistratu, vel etiam Parocho ultimò annuam reddituum rationem iniverint, accurate in scriptis designabunt.

§ 5. Decani Calendarum & Exulium præter fundationes, & onerum designationem eiusdem Fraternalitatis; etiam nomina eorum, qui in Fraternalitate continentur, & quomodo de redditibus eiusdem, tam in divinis, quam convivijis ministratur, clare & in scripto informabunt.

§ 6. In Sacristia exposita sint omnia sacra indumenta & paramenta, pluvialia, casulæ, albæ, pallia altarium, vasa & reliqua omnia Ecclesiasticæ suppellectilis ornamenta, eaq; ordine, & pro colorum ratione distinctè collocata, ita appareant, ut statim ab Illustrissimo, eiusdem vicario Generali aut deputatis recognosci, possint, cum indice totius suppellectilis Ecclesiasticæ.

§ 7. Missales libri, lectionaria, Breviaria, Antiphonaria aliaque id generis in oculis visitantis appareant.

§ 8. In promptu etiam sint designationes SS. Reliquiarum, in singulis Ecclesiis asservatarum, cum scripta earundem testificatione. Item Indulgentiarum eidem Ecclesiæ concessarum, si quas habent.



§. 9. Tabulas etiam & scripta, quævis monumenta, quæ ad Ecclesiæ, altarium & Capellarum Jura, privilegia & bona testificanda pertinent, producant, & quibus locis eadem asserventur.

§. 10. Pastores vel vice curati, promptos quoque habeant libros parochiales, 1. Baptizatorum. 2. Confirmatorum. 3. Matrimoniorum. 4. Defunctorum. Quibus certus numerus animarum ipsis commissarum addatur.

§. 11. Designabunt etiam abusus frequentes Parochianorum, blasphemantium, superstitione, maleficijs magicisq; artibus vrentium, simoniacorum, vlturas exercentium, Concubinariorum, concubinatusque, aliorumvè criminum nomine suspectorum. Eorum quoque nomina, qui sine dispensationibus in gradibus prohibitis matrimonia contraxerunt. Et libros quibus ad concionandum & casus resolvendos vtuntur, visitatori ostendent.

§. 12. Item docebunt decreta Synodalia in omnibus & per omnia accuratè & cum effectû observari.

§. 13. Lectiones etiam Catecheticas, singulis Dominicis diebus haberi, ægros, quoad confessionem, communionem, & extremam vñctionem non negligi.

§. 14. Hæreticos omnes, & qui in paschate non communicant, nominatim designabunt.

§. 15. In supradictis omnibus, quiq; suam consideret conscientiam, Reverendissimo & Illustrissimo Principi debitam, qui loco Dei iam ab ipsis exigit rationem, Deo olim graviolem pro animabus ipsorum redditurus, vt cum gaudio id faciat, non gemens, hoc enim non expedit ipsis, prout inquit Apostolus ad Hebr. c. 13. v. 17.

*Finita visitatione cuiusvis loci, antequam illustrissimus vel deputati discedunt, iterum accedent ad templum. & si commodè fieri potest, illustrissimus in suo habitu communi, stans ad Altare in cornu Epistola, versus illud dicit Psalmum, De profundis, &c. totum. cum Requiem æternam, & Antiphona, Si iniquitates, &c. deinde dicit, Pater noster, &c.*

✠. Et ne nos inducas in tentationem,

✠. Sed libera nos à malo, Amen.

✠. A por-

\* obligationem,  
vocationem et  
obedientiam,



ψ. A porta inferi.  
℞. Erue Domine animas eorum.  
ψ. Requiem æternam, &c.  
℞. Et lux perpetua luceat eis.  
ψ. Domine exaudi orationem meam.  
℞. Et clamor meus ad te veniat.  
ψ. Dominus vobiscum.  
℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

**D**Eus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℞ Amen.

*Post hæc benedicet populo sine cantu dicendo solum, Benedicat vos, &c.  
Deniq; Clerus & populus abeuntri Reverendissimo vel deputatis ad januam valedicent.*

F I N I S.

















